



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs IX. Vtrum ea quæ videntur in Deo à videntibus diuinam  
essentiam per aliquas similitudines videantur. art. 9.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

ARTICVLVS IX.

*Vtrum ea qua videntur in Deo à videntibus diuinam essentiam per aliquas similitudines videantur.*

*Beati videtur in Deo non per aliquid, sed per essentiam ipsam diuinam in illa specie intelligibilis.*

**A**RTICVLVS hic ex dictis articulo 2. articulo precedente satis intelligitur. Id enim, quod videtur secundum se ipsum, videtur per propriam sui speciem, vel per essentiam suam cõcurrentem ad modum speciei intelligibilis, si quantum satis est, coniuncta sit & accommodata intellectui: quod verò videtur in alio non videtur per propriam speciem, sed vel per speciem alterius, in quo videtur, vel per essentia alterius concurrente ad modum speciei intelligibilis. Creaturæ ergo quæ visione beatifica videntur in Deo, neque videtur per proprias species, neque per speciem Dei, quippe cum Deus ipse non videatur per speciem: sed videatur per diuinam essentiam ad modum speciei intelligibilis se habentem ad visionem Dei.

*Speculum, et res in speculo representantur diuisis speciebus cõcurrentibus.*

Hoc loco in argumento sed contra, & clarius inferius quaest. 14. artic. 5. docet D. Thomas, per speciem speculi videri rem in speculo representatam. Contrarium tamen ex Philosophia & perspectiua constat, nempe distinctam esse speciem, qua videtur speculum, ab ea, per quam videtur res in speculo representata. Speculum namque videtur per propriam speciem, vt D. Thomas ait, & constat, quando videtur, antequam à tergo nostro existat res, quæ in eo representetur: ea verò accedente, illa emittit propriam speciem in speculum, qua mediante, in ea representatur, atque apparet, & ab illa producit alia in oculum, qua simul videtur tum species obiecti, quæ apparet in speculo, tum etiam obiectum ipsum. Itaque per eandem speciem productam in oculum, & videtur species obiecti, quæ apparet in speculo, & videtur obiectum ipsum, atque ita obiectum ipsum non videtur in se, sed in sua imagine, quæ apparet speculo impressa: speculum tamen videtur per distinctam speciem ab ea, qua videtur obiectum, quod in eo representatur. Fortè illud primum, quod instituto inferuicbat, voluit dicere hoc loco D. Thomas, & qu. 14. artic. 5. quamuis verba ipsius aliud significant.

*Speciem speculi non nec videtur, nec partem habet extra partem in representando.*

Hæc dicta sunt iuxta vulgi opinionem, existimantis in speculo esse speciem obiecti habentem partem extra partem extensam in representando obiectum ad extensionem speculi, quasi in vna parte speculi representetur caput Petri è regione existentis, & non pectus, neque alia membra: in alia verò representetur pectus, & non caput, &c. atque in specie verè ita terminante aciem visus, vt re immediate visu conspecta, mediata conspiciatur vterius Petrus, qui à tergo nostro exiit. Iuxta veram namque Philosophiam longè aliter dicendum est, ac vulgus opinatur: in libris enim de anima ostendimus, in singulis punctis speciei representari totum Petrum quoad omnes suas partes, à quibus ad singula puncta speculilicet lineam rectam ducere, qua non attingat corpus opacum interiectum: & ideo in singulis punctis speculi esse integram speciem Petri in representando: totum obiectum, atque à singulis punctis fieri reflexionem illius speciei in oculum, nosque decipi, dum Petrum ipsum, qui oculis apparet in speculo, opinamur esse imaginem Petri habentem partem extra partem in representando: non enim Petri imaginem, quæ suapte natura inui-

**A** sibilis est, & extra obiectum visus, intuemur, sed Petrum ipsum per eius speciem reflexam in alieno loco, vbi re vera non est, videlicet vltra speculum è regione nobis apparentem conspiciamus, fallaci nihilominus visione. Neque hæc est singularis nostra opinio, sed multorum qui in perspectiua & Philosophia habentur doctissimi. Verum de hac re suo loco, interim tamen vulgariter loquemur, & quaest. 14. artic. 5. & quoties occasio se obtulerit.

Hoc loco circa responsonem ad 2. D. Thomæ disputari poterat, an in Paulo post raptum manserit fides: quia tamen commodiorem locum habet ea disputatio 1. 2. quaest. 67. idcirco in eum locum eam relinquemus.

ARTICVLVS X.

*Vtrum videntes Deum per essentiam, simul videant in eo omnia, qua in ipso vident.*

**C**IRCA VÆ in hoc articulo dici poterant, dicta sunt articulo 8. disputatione penultima, inter examinandum tertium dubium ibi propositum, & disputatione vltima. Circa quaestionem autem illam, quæ hoc loco poterat excitari, vtrum possimus intelligere simul plura, per modum plurium, sat sint quæ diximus 1. Post. cap. 1. vbi partem affirmantem iudicauimus probabiliorem. Ea etiam de re sermo erit in materia de Angelis.

ARTICVLVS XI.

*Vtrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.*

DISPUTATIO I.

**R**ÆPOSITA quaestio intelligitur de puro homine: Christus namque in hac mortali vita Deum videbat per essentiam. Præterea, sensus quaestionis non est, vtrum per vires nature possit homo in hac vita videre Deum per essentiam. In eo enim sensu pars, quæ negat, definita fuit articulo 4. Neque item sensus quaestionis est, vtrum per potentiam Dei absolutam, id est, vtrum per potentiam Dei absolutam, id esse possit: nullus namque de parte, quæ affirmat, dubitare potest. Vt enim Deus humanitati Christi id contulit, ita potentia sua absoluta idem conferre potuit puro homini, & D. Thomas in responsonem ad secundum concedit, Moysen & Paulum in hac vita vidisse Deum per essentiam. Sensus itaque quaestionis est, an de lege communi, & de potentia Dei ordinaria, possit quis in hac vita videre Deum per essentiam. In quo sensu definit Diuus Thomas partem negantem, quæ est de fide, vt patet ex illo Ioan. 1. *Deum nemo vidit vquam.* Et Exod. 33. *Non videbit me homo & viuet.* Ratio autem, quam hoc loco adducit D. Thomas, solùm huius rei congruitatem ostendit.

*Quaestio sensus.*

*Videre non potest homo in hac vita Deum de lege ordinaria, secus autem de potentia Dei absoluta.*

Contra signum illud, quod hoc loco adducit D. Thomas, nempe quòd quò anima plus abstrahitur à corporalibus, eò capacior redditur intelligibilium abstractorum, vnde per insomnia & alienationes à sensibus corporis magis diuina reuelationes percipiuntur & præuisiones futurorum, obiicit Scotus in